



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Comestabulo Romaniae, Domino de Armiro, A. de Plaerio, & aliis Baronibus
& populis Latinis & Græcis in Cardicensi diocesi constitutis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

permittatis venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Larissenum & suffraganeos suos Ecclesias, abbatias, Clericos, possessiones, decimas, & alia jura quæ ad Ecclesias pertinent eorundem pacificè possidere. Datum Laterani Nonis Julij, anno tertio decimo.

ARCHIEPISCOPO LARISSENO.

Cum venerabilis frater noster Cardicenis Episcopus multa labore inopia, multaque paupertate prematur, cum ex Ecclesiæ suæ redditibus vix possit simplex Clericus sustentari, fraternitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatinus ipsius paupertati compatiens, ejusque indigentiam miseratus, ei procures in aliquo providere, ut mendicare in clericali ordinis vituperium non cogatur. Datum Laterani III. Nonas Julij, anno XIII.

COMESTABULO ROMANIÆ,
Domino de Armiro, A. de Plaerio, & aliis
Baronibus & populis Latinis & Græcis
in Cardicensi diocesi constitutis.

Sancam Dei Ecclesiam sponsam Christi honorare vos convenit, non gravare; ne forsan Christus Dominus sponsum ejus, ipsius gravamine provocatus, vos aggravet, & dum auferre sibi modicum quod habet intenditis, plura perdere vos contingat. Cum igitur venerabilis frater noster Episcopus Cardicenis quædam Ecclesiæ suæ jura vos asserat minus licitè detinere, universitatem vestram monemus atque exhortamur in Domino quatinus detenta omnia divinæ considerationis obtentu & pro sedis apostolicæ reverentia eidem Ecclesiæ restituere cum integritate debita procurantes, non impediatis quò minus idem Episcopus abbatias, Ecclesias, possessiones, decimas tam Græcorum quam Latinorum, & alia Ecclesiæ suæ jura valeat pacificè possidere. Datum Laterani II. Nonas Julij, anno tertio decimo.

ILLVSTRI CONSTANTINOPOLITANO
Imperatori.

Conquestionem dilecti filij Citrensis electi nobis accepimus præsentatam quòd nobilis vir V. Alemannus & quidam alij milites & homines tui Ecclesias Citrensem & Platamonensem, castellum etiam de Citro, decimas tam Latinorum quam Græcorum, ac possessiones alias ad ipsum & Ecclesias memoratas rationabiliter pertinentes per violentiam invaserunt,
Tom. II.

& detinent contra justitiam occupatas. Ideoque imperialem excellentiam monemus & exhortamur in Domino quatinus eos ut Ecclesias & possessiones easdem ac decimas electo restituant memorato, & de perceptis satisfactionem exhibeant competentem, tradita tibi à Deo potestate compellas. Datum Laterani VI. Idus Julij, anno tertio decimo.

EPISCOPO SIDONIENSI,
& electo Nazarescensi, & procuratori
Dimicensi.

Conquestus est nobis venerabilis frater noster Episcopus Cardicenis quòd nobilis vir Comestabulus Romanæ, Dominus de Armiro, A. Plaerio, Dominus de Valestino, Balivus carissimi in Christo filij nostri Constantinopolitani Imperatoris illustris, & quidam alij Cardicensis diocesis monasteria, abbatias, Ecclesias, decimas tam Latinorum quam Græcorum, & possessiones alias ad ipsum de jure spectantes contra justitiam detinent occupatas, se habere jus patronatus in monasteriis, abbatibus, & Ecclesiis asserentes; qui etiam quosdam laicos Latinos & Græcos ipsius diocesis nolentes decimas sibi debitas exhibere super hac nequitia confovent & tuentur; contra quos licet pluries obtinuerit scripta nostra, non potuit justitiam obtinere, cum illi quibus super hoc scriptimus, postponentes humano timori divinum, plus hominibus quam Deo duxerint deferendum, processum super injuncto sibi negotio non habentes. Ne igitur jura ecclesiastica pereant per insolentiam laicorum, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus nobiles prædictos & alios, ut & integrè detenta restituant, & ab hujusmodi præsumptione desistant, monitione præmissa, censura ecclesiastica appellatione remota, sicut justum fuerit, compellatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia.

ARCHIEPISCOPO THEBANO,
& Davaliensi & Sydoniensi Episcopis.

Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum ac dilectorum filiorum aliorum Prælatorum Constantinopolitani imperij gravem nuper accepimus questionem quòd nobilis vir Otto de Roca Dominus Athenarum & alij Barones & Milites ipsius imperij communiter inhibuerunt in eorum gravissimum detrimentum ne quis de pos-
N n n

Epist. 106.
Vi sublevet
paupertatem
Episcopi Car-
dicenis.

Epist. 107.
Scribitur pro
tamen.

Epist. 108.
De solatis res-
tituendis Episcopo
Citrensi.
Vide supra epist.
III.

Epist. 109.
De ablatis res-
tituendis Eccle-
siæ Cardiceni.

Epist. 110.
De libera po-
testate restandi
in favorem Ec-
clesiarum.
Vide supra epist.
98.